



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De iuramento, per quod assumitur nomen diuinum ad verba confirmanda.  
Qu[a]estio 89.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*De iuramento, in decem articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de actibus exterioribus latræ, quibus aliquid diuinum ab hominibus assumitur: quod est vel sacramentum aliquod, vel ipsum nomen diuinum. Sed de sacramenti assumptione locus erit tractandi in tertia huius operis parte. De assumptione autem nominis diuini nunc agendum est. Assumitur autem diuinum nomen ab homine tripliciter. Vno modo, per modum iuramenti, ad propria verba confirmanda. Alio modo, per modum adiurationis, ad alios inducendum. Tertio modo, per modum inuocationis, ad orandum vel laudandum. Primò ergo de iuramento agendum est.

- ¶ Circa quod queruntur decem.
- ¶ Primo, quid sit iuramentum.
- ¶ Secundo, vtrum sit licitum?
- ¶ Tertio, qui sint comites iuramenti.
- ¶ Quarto, cuius virtutis sit actus.
- ¶ Quinto, vtrum sit appetendum, & frequentandum tamquam vtile, & bonum?
- ¶ Sexto, vtrum liceat iurare per creaturam?
- ¶ Septimo, vtrum iuramentum sit obligatorium?
- ¶ Octauo, quæ sit maior obligatio, vtrum iuramenti, vel voti?
- ¶ Nonò, vtrum in iuramento possit dispensari?
- ¶ Decimo, quibus, & quando liceat iurare.

ARTIC. I.

*Vtrum iurare, sit testem Deum inuocare?*

**A**d primum sic proceditur. Viderur, quòd iurare non sit testem Deum inuocare. Quicumque enim inducit auctoritatem sacræ Scripturæ, inducit Deum in testimonium, cuius verba proponuntur in sacræ Scriptura. Si ergo iurare est testem Deum inuocare, quicumque inducit auctoritatem sacræ Scripturæ, iuraret. Hoc autem est falsum. Ergo & primum.

482  
*Inf ar. 4.  
 cor. 9.  
 98. ar. 2.  
 cor. Es 3.  
 d. 39. a. 1*

¶ 2. Preterea, Ex hoc quòd aliquis inducit aliquè  
 Sec. Sec. Vol. ij. B b in

in testem, nihil ei reddit. Sed ille qui per Deum iurat, aliquid Deo reddit. Dicitur enim Matt. 5. Reddes Domino iuramenta tua. Et August. dicit \*, quod iurare, est ius veritatis Deo reddere. Ergo iurare non est Deum testem inuocare.

*In ser. 28  
de verbis*

*Apost. pa  
rum ante*

*med. 1. 10.*

*† 9. 67. p  
101. & 9.  
70. p 101.*

*\* Ser. 28.  
de verb.*

*Apost. pa  
rum ante*

*me. 10. 10.*

¶ 3 Præterea, Aliud est officium iudicis, & aliud testis: vt ex supra dictis patet †. Sed quandoque iurando implorat homo diuinum iudicium, secundum illud Psal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decedam merito ab inimicis meis inanis. Ergo iurare non est testem Deum inuocare.

S E D contra est, quod August. dicit \* in quodam sermone de periurio, Quid est iurare per Deum, nisi testis est Deus?

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut Apollus dicit ad Heb. 6. Iuramentum ad confirmationem ordinatur. Confirmatio autem in seilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera. Sed particularia facta contingentia hominum, non possunt per rationem necessariam confirmari. Et ideo ea quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium non est sufficiens ad huiusmodi confirmandum, propter duo. Primo quidem propter defectum veritatis humanæ: quia plurimi in mendacium labuntur, secundum illud Psal. 16. Os eorum locutum est mendacium. Secundo propter defectum cognitionis: quia homines non possunt cognoscere, neque futura, neque eorum occulta, vel etiam absentia, de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad diuinum testimonium: quia Deus neque mentiri potest, neque cum aliquid latet. Assumere autem Deum in testem, dicitur iurare: quia quasi pro iure introductum est, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum autem testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia vel præterita: & hoc dicitur iuramentum asser-

assertorium. Quandoque autem inducitur diuinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum: & hoc dicitur iuramentum promissorium. Ad ea verò quæ sunt necessaria, & per rationem inuestiganda, non inducitur iuramentum. Derisibilis enim videretur si quis in disputatione alicuius scientiæ, vellet propositum per iuramentum probare.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliud est testimonio Dei vti iam dato, quod fit cum aliquis auctoritatem sacræ scripturæ inducit: & aliud est testimonium Dei implorare, vt exhibendum, quod fit in iuramento.

Ad secundum dicendum, quòd dicitur aliquis redere iuramenta Deo, ex hoc, quòd implet illud quod iurat: vel quia in hoc ipso, quòd inuocat Deum in testem, recognoscit eum habere omnium cognitionem, & infallibilem veritatem.

Ad tertium dicendum, quòd alicuius testimonium inuocatur ad hoc, quòd testis inuocatus veritatem manifestet circa ea, quæ dicuntur. Deus autem manifestat, an verum sit quod dicitur, dupliciter. Vno modo, simpliciter reuelando veritatem, vel per internam inspirationem, vel etiam per facti denudationem, dum scilicet producit in publicum ea quæ erant occulta. Alio modo, per penam mentientis: & tunc simul est iudex & testis, dum puniendo mendacem, manifestat mendacium. Et ideo duplex est modus iurandi. Vnus quidem per simplicem Dei contestationem: sicut cum aliquis dicit, Est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum: quod idem est, vt dicit August. \* Alius modus iurandi est per execrationem, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad penam obligat, nisi sit verum quod dicit.

ARTIC. II.

*Vtrum sit licitum iurare?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum iurare. Nihil enim quod prohibetur in lege diuina, est licitum. Sed iuramentum prohibetur

Bb 2 Matt.

*Lib. 1. de ser. Dom. in mōte, c. 30. to. 4 483 Inf. ar. 3. cor. Et 3. d. 39. a. 2 q. 2. Et Ro. 1. lec. 5. 10 3. Et Heb. 6. 16. 2. cor. 1.*

Matt. 5. Ego dico vobis non iurare omnino, &c. Et  
Iac. 5. dicitur, Ante omnia fratres mei nolite iurare,  
Ergo iuramentum est illicitum.

¶ 2 Præterea, Id quod est à malo, videtur esse illi-  
citur: quia ut dicitur Matt. 7. Non potest arbor mala,  
fructus bonos facere. Sed iuramentum est à malo. Dici-  
tur enim Matt. 5. Sic autem sermo vester, est, est: non,  
non. Quod autem his abundantius est, à malo est. Er-  
go iuramentum videtur esse illicitum.

¶ 3 Præterea, Exquirere signum diuinæ providen-  
tiæ, est tentare Deum: quod est omnino illicitum: secun-  
dum illud Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum.  
Sed ille qui iurat, videtur exquirere signum diuinæ  
providentiæ, dum petit diuinum testimonium, quod est  
per aliquem euidentem effectum. Ergo videtur quod  
iuramentum sit omnino illicitum.

SED contra est, quod dicitur Deut. 6. Dominum  
Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.

RESPONDEO dicendum, quod nihil prohibet ali-  
quid esse secundum se bonum, quod tamen cedit in  
malum eius qui non utitur eo conuenienter. Sicut su-  
mere eucharistiam est bonum: & tamen qui indignè  
sumit, iudicium sibi manducat, & bibit, ut dicitur I ad  
Cor. 11. Sic ergo in proposito dicendum est, quod iu-  
ramentum secundum se, est licitum & honestum.  
Quod patet ex origine & ex fine. Ex origine quidem:  
quia iuramentum est introductum ex fide qua homi-  
nes credunt Deum habere infallibilem veritatem, &  
vniuersalem omnium cognitionem & provisionem. Ex  
fine autem: quia iuramentum inducitur ad iustificandum  
homines, & ad finiendum controuersias, ut dicitur ad  
Heb. 6. Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo  
quod malè utitur eo, id est, sine necessitate, & cautela  
debita. Videtur enim paruam reuerentiam habere ad  
Deum, qui eum ex leui causa testem inducit: quod  
non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Im-  
minet etiam periculum periurij: quia de facili homo  
in verbo delinquit, secundum illud Iacob, 3. Si quis in  
verbo

verbo non offendit, hic perfectus est vir. Vnde & Eccles. 23. dicitur, Iurationi non assuefcas os tuum: multi enim casus in illa.

Ad primum ergo dicendum, quòd Hieron. super Matt. dicit \*, Considera quòd Saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cælum & terram. Hanc anim per elementa iurandi pessimam consuetudinem habere Iudæi noscuntur. Sed ista responsio non sufficit: quia Iacobus addidit, Neque per aliud quodcunque iuramentum. Et ideò dicendum est, quòd (sicut August. dicit \* in lib. de mendacio) quòd Apostolus in epistolis suis iurans, ostendit quomodo accipiendum esset quod dictum est, Dico vobis non iurare, omnino: ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur; & ex facilitate iurandi ad consuetudinem; & à consuetudine in periurium decidaçur. Et ideò nõ inuenitur iurasse nisi scribens, vbi consideratio cautiõ non habet linguam præcipitem.

Ad secundum dicendum, quòd sicut August. dicit \* in lib. de serm. Domini in monte, Si iurare cogers, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades: quæ vtrique infirmitas, malum est. Itaque non dixit, quòd amplius est, malum est. Tu enim non malum facis qui bene vteris iuratione, ve alteri persuadeas quod vtiliter persuadeas: sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogers.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui iurat, non tentat Deum: quia non implorat diuinum auxilium absque vtilitate, & necessitate. Et præterea, non exponit se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præfenti. Adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, vt dicitur 1. ad Corin. 4. Et illud testimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.

*Sup. illud  
Matt. 5.  
Ego dico  
vobis, nõ  
iurare,  
10.9.  
In lib. de  
mendacio,  
c. 15. cir-  
ca med.  
tom. 4.*

*li. 1. c. 10.  
de medio,  
tom. 4.*

*Vtrum conuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium, & veritas?*

484  
*Inf. a. 7.* **A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium, & veritas. Ea enim quorum vnum includitur in altero, non sunt connumeranda, ad 1. Et tamquam diuersa. Sed horum trium vnum includitur in altero: quia veritas est pars iustitiæ, secundum a. 2. q. 2. Tullium \*. Iudicium autem est actus iustitiæ, vt supra Et quolibet. Ergo inconuenienter ponuntur tres comites iuramenti.  
*5. ar. 7.* **Q** 2 Præterea, Multa alia requiruntur ad iuramentum, scilicet deuotio & fides, per quam credamus Deum omnia scire, & mentiri non posse. Ergo videtur, quod insufficienter tres comites iuramenti enumerentur.  
*\* li. 2. de Inuent. ante fin. libri. ¶ 9. 60. a. 1.*

**Q** 3 Præterea, Hæc tria in quolibet opere humano requirenda sunt. Nihil enim debet fieri contra iustitiam aut veritatem, aut sine iudicio: secundum illud 1. ad Timot. 5. Nihil facias sine præiudicio, id est, sine præcedenti iudicio. Ergo hæc tria non magis debent associari iuramento, quam alijs humanis actibus.

**S**E D contra est, quod dicitur Hierem. 4. Jurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Quod exponens Hieron. dicit \*, Animaduertendum est quod iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est \*, iuramenti non est bonum, nisi ei qui bene vitur iuramento. Ad bonum autem usum iuramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudiciū, scilicet discretionis; ex parte iurantis. Secundo, quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est,

*Et habetur 2. 2. q. 2. c. Animaduertendum ar. prat.*

est; & iustitia per quam confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: iustitia autem iuramentum iniquum siue illicitum.

Ad primum ergo dicendum, quod iudicium non sumitur hic pro executione iustitiæ, sed pro iudicio discretionis, vt dictum est \*. Neque etiam veritas hic accipitur secundum quod est pars iustitiæ, sed secundum quod est quædam conditio locutionis. *In cor. a.*

Ad secundum dicendum, quod & deuotio, & fides, & omnia huiusmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi, intelliguntur in iudicio. Alia enim duo pertinent ad rem, de qua iuratur: vt \* dictum est. *In cor. a.* Quamuis posset dici quod iustitia pertinet ad causam pro qua iuratur.

Ad tertium dicendum, quod in iuramento est periculum magnum: tum propter Dei magnitudinem, cuius testimonium inuocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur. Et ided huiusmodi magis requiruntur ad iuramentum quam ad alios humanos actus.

A R T I C. I V.

*Utrum iurare, sit actus religionis siue latritæ?* 485

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum nõ sit actus religionis siue latritæ. Actus enim latritæ sunt circa aliqua sacra, & diuina. Sed iuramenta adhibentur circa controuersias humanas, vt Apostolus dicit ad Hebr. 6. Ergo iurare non est actus religionis seu latritæ.

¶ 2 Præterea, Ad religionem pertinet cultus Deo offerre, vt \* Tullius dicit. Sed ille qui iurat, nihil Deo offert, sed Deum inducit in testem. Ergo iurare non est actus religionis seu latritæ. *\* lib. 2. de Inuēt. ante fin. li.*

¶ 3 Præterea, Finis religionis seu latritæ est reuerentiam Deo exhibere. Hoc autem non est finis iuramenti, sed potius aliquod verbum confirmare. Ergo iurare non est actus religionis.

**S E D** contra est, quod dicitur Deut. 6. Dominum B b 4 Deum

Deum tuum timebis, & ipsi soli seruias, ac per nomen illius iurabis. Loquitur autem ibi de seruitute latriæ. Ergo iurare est actus latriæ.

ar. 1. hu-  
ius 9.

Mat. 5. si  
per illud,  
Ego autē  
dico non  
iurare  
omnino,  
tom. 9.  
† li. 1. c. 3.  
dū refert  
opinione  
Thaletis,  
tom. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex dictis patet \*, ille qui iurat, inuocat diuinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur nisi per aliquid quod certius est, & potius. Et idè in hoc ipso quod homo per Deum iurat, proficitur Deum potiore, utpote cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis. Et sic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet. Vnde & Apostolus dicit ad Hebr. 6 quòd homines per maiorem se iurant. Et Hieron. dicit super Matt. \* quòd qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. † Philosoph. etiam dicit in 1. Metaph. quòd iuramentum est honorabilissimum. Exhibere autem reuerentiam Deo, pertinet ad religionem siue latriam: vnde manifestum est, quòd iuramentum est actus religionis siue latriæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd in iuramento duo considerantur, scilicet testimonium quod inducitur, & hoc est diuinum; & id super quo inducitur testimonium, vel quod facit necessitatem testimonium inducendi: & hoc est humanum. Pertinet ergo iuramentum ad religionem, ratione primi, non autem ratione secundi.

Ad secundum dicendum, quòd in hoc ipso quod aliquis assumit Deum in testem per modum iuramenti, proficitur eum maiorem: quod pertinet ad Dei reuerentiam. Et sic aliquid offert Deo, scilicet reuerentiam, & honorem.

Ad tertium dicendum, quòd omnia quæ facimus, debemus in Dei reuerentiam facere. Et idè nihil prohibet, si in hoc ipso quod intendimus hominem certificare, Deo reuerentiam exhibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reuerentiam facere, ut ex hoc utilitas proximis proueniat: quia etiam Deus operatur ad suam gloriam, & nostram utilitatem.

A R.

*Utrum iuramentum sit appetendum, & frequentandum tamquam utile, & bonum?*

486

**A**D quinquum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum sit appetendum, & frequentandum tamquam utile, & bonum. Sicut enim votum est actus laetitia, ita & iuramentum. Sed facere aliquid ex voto est laudabilius, & magis meritorium: quia votum est actus laetitia, ut supra dictum est\*. Ergo pari ratione facere, vel dicere aliquid cum iuramento est laudabilius: & sic iuramentum est appetendum tamquam per se bonum.

*Su. q. 89. ar. 3. cor. Et 1. 2. q. 107. a. 2. co. & ad 2. Et 3. d. 39. ar. 2. q. 1. Et Ps. 14. ff. Et Ro. 1. le. 5. co. 5. \* q. 88. a. 5. & 6. † Mat. 5. super illud, Ego autem dico vobis non iurare, 10. 9. † in lib. de medicina c. 15. circa me. 10. 4.*

¶ 2. Præterea, † Hieron. dicit super Matt. quod qui iurat, aut veneratur aut diligit eum per quem iurat. Sed venerari, aut diligere Deum est appetendum tamquam per se bonum. Ergo & iuramentum.

¶ 3. Præterea, iuramentum ordinatur ad confirmationem, seu certificationem. Sed quod homo confirmet suum dictum, bonum est. Ergo iuramentum est appetendum tamquam bonum.

**S**ED contra est, quod dicitur Eccl. 23. Vir multum iurans, replebitur iniquitate. Et † Aug. dicit in libro de mendacio, quod præceptum Domini de prohibitione iuramenti, ad hoc positum est, ut quantum in te est, non affectes ut quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum.

**R**ESPONDEO dicendum, quod id quod non queritur, nisi ad subueniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria: sicut patet de medicina, quæ queritur ad subueniendum infirmitati. Iuramentum autem queritur ad subueniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredat. Et ideo iuramentum est habendum non inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vitæ necessaria: quibus indebitè vitur quicumque eis vitur ultra terminos necessitatis. Unde \* Augustin. dicit in lib. de sermone Domini in monte, Qui intelligit

*Et Ro. 1. le. 5. co. 5. \* q. 88. a. 5. & 6. † Mat. 5. super illud, Ego autem dico vobis non iurare, 10. 9. † in lib. de medicina c. 15. circa me. 10. 4.*

*l. 1. c. 30. a me. 1. 4. ligit*

ligit non in bonis, id est, per se appetendis: sed in necessarijs iurationem habendam, refrenet se quantum poterit, ut non ea vratur, nisi necessitas cogat.

Ad primum ergo dicendum, quòd alia ratio est de voto, & iuramento. Nam per votum aliquid in Dei reuerentiam ordinamus: unde ex hoc ipso fit religionis actus. Sed in iuramento è conuerso reuerentia diuini nominis assumitur ad promissi confirmationem. Et idè illud quod iuramento confirmatur, non propter hoc fit religionis actus: quia secundum *finem* morales actus species sortiuntur.

Ad secundum dicendum, quòd ille qui iurat, vitur quidem ueneratione, & dilectione eius per quem iurat: non autem ordinat iuramentum ad uenerandum aut diligendum eum, per quem iurat, sed ad aliquid aliud, quod est necessarium præsentì vitæ.

Ad tertium dicendum, quòd sicut medicina est utilis ad sanandum, & tamen quanto est uirtuosior, tanto maius nocumentum inducit, si non debite sumatur: ita etiam iuramentum uile quidem est ad confirmationem: tamen quanto est magis uenerandum, tanto est magis periculosum, nisi debite inducatur: quia, ut dicitur Eccles. 23. Si frustra uerit, id est, deceperit fratrem, delictum ipsius supra ipsum erit. Et si dissimulauerit, quasi per simulationem iurando falsum, delinquit dupliciter: quia scilicet simulata æquitas, est duplex iniquitas. Et si in vacuum iurauerit, id est, sine debita causa, & necessitate, non iustificabitur.

## ARTIC. VI.

*Virum liceat per creaturas iurare?*

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat per creaturas iurare. Dicitur enim Mat. 5. Ego dico uobis non iurare omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum. Quod exponens Hiero. \* dicit, Considera, quòd hic Saluator non per Deum iurare prohibuit, sed per cælum, & terram, &c.

487

3. d. 38.

a. 1. et in

expos. lit.

Et He. 6.

le. 4. co. 2.

\* sup. il-

lud Mat.

5. Ego di-

co uobis

nō iura-

re, 10. 9.

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Pœna non debetur nisi culpæ. Sed iuranti per creaturas adhibetur pœna. Dicitur enim 22. q. 1. prima, Clericum per creaturam iurantem acerrimè obiurgandum, si perstiterit in vitio, excommunicandum placuit. Ergo illicitum est per creaturas iurare.

¶ c. Clericum.

¶ 3 Præterea, Iuramentum est actus latriæ, sicut dictum \* est. Sed cultus latriæ non debetur alicui creaturæ, vt patet Rom. 1. Ergo non licet iurare per aliquam creaturam.

art. 4. huius q.

SED contra est, quod Ioseph iurauit per salutem Pharaonis, vt legitur Genes. 42. Ex consuetudine etiam iuratur per euangelium, & per reliquias, & per Sanctos.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra \* dictum est, duplex est iuramentum. Vnum quidem, quod fit per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei inuocatur. Et hoc iuramentum innititur diuinæ veritati, sicut & fides. Fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas: secundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet, vt supra habitum est. Et similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cuius testimonium inuocatur: secundariò autem assumuntur ad iuramentum aliqua creaturæ, non secundum se, sed in quantum in eis diuina veritas manifestatur. Sicut iuramus per euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in euangelio manifestatur: & per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Alius autem modus iurandi est per execrationem. Et in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinum iudicium exerccatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem quam diligit. Sicut & Apostolus iurauit 2. ad Corin. 1. dicens, Ego testem Deum inuoco in animam meam. Quod autem Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi potest: vel per modum execrationis, quasi salutem Pha-

art. 1. ad 3. arg.

Pha.

Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem Principes terræ constituuntur.

*loc. cit. in arg.*  
Ad primum ergo dicendum, quod Dominus prohibuit iurare per creaturas: Ita quod eis exhibeatur reuerentia diuina. Vnde Hieronym. \* ibidem subdit, quod Iudæi per angelos, & cætera huiusmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Et eadem ratione punitur, secundum canones, clericus per creaturam iurans: quod ad blasphemiam infidelitatis pertinet. Vnde in \* sequenti capit. dicitur, Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemiam contra Deum usus fuerit: si in ecclesiastico ordine est, deponatur.

¶ Et per hoc patet responsio Ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod cultus latrice adhibetur ei cuius testimonium iurando inuocatur. Et ideo præcipitur Exod. 23. Per nomen externorum deorum non iurabitis. Non autem exhibetur cultus latrice creaturis, quæ in iuramento assumuntur, secundum modos prædictos.

488

3. di. 39.

ar. 3. q. 1.

¶ 2 ¶

4. di. 29.

n. 1. ad 4.

Es quol. 3

ar. 14. Et

co. 5. ar.

tic. 17. Et

quol. 12.

ar. 22.

\* l. 2. Topi-

pic. 6. 3. et

in cap. de

oppositis,

30. 1.

† a. 4. h. 4.

ins q.

## ARTIC. VII.

*Utrum iuramentum habeat vim obligandi?*

**A**D septimum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum non habeat vim obligandi. Inducitur enim iuramentum ad confirmandum veritatem eius quod dicitur. Sed quando aliquis dicit aliquid de futuro, verum dicit; etiam si non eueniat quod dicit. Sicut Paulus, quamuis non iuerit Corinthum, sicut dixerat: non tamen est mentitus, ut patet 2. ad Corinth. 1. Ergo videtur, quod iuramentum non sit obligatorium.

¶ 2 Præterea, Virtus non est virtuti contraria, ut dicitur in \* prædicamentis. Sed iuramentum est contra virtutem, ut f dictum est. Quandoque autem esset contra virtutem, aut in aliquod eius impedimentum, si quis seruaret id quod iurauit: sicut cum aliquis iur-

rat se facere aliquod peccatum : vel cum iurat desistere ab aliquo opere virtutis. Ergo iuramentum non est semper obligatorium .

¶ 3 Præterea, Quandoque aliquis inuitus compellitur ad hoc quod sub iuramento aliquid promittat. Sed tales à iuramenti nexibus sunt per Romanos Pontifices absoluti, vt habetur extra, de iureiur. c. Verum, in ea quæstione &c. Ergo iuramentum non semper est obligatorium .

¶ 4 Præterea, Nullus potest obligari ad duo opposita. Sed quandoque oppositum est quod intendit iurans, & quod intendit ille cui iuramentum præstatur. Ergo iuramentum non potest esse semper obligatorium .

SED contra est, quod dicitur Matth. 5. Reddes domino iuramenta tua .

RESPONDEO dicendum, quod obligatio refertur ad aliquid quod est faciendum, vel dimittendum. Vnde non videtur respicere iuramentum assertorium quod est de præsentis, vel de præterito. Neque etiam iuramentum de his quæ sunt per alias causas fienda : sicut si quis iuramento assereret, quod cras pluuia esset futura : sed solum in his quæ sunt fienda per illum qui iurat. Sicut autem iuramentum assertorium quod est de præterito vel de præsentis, debet habere veritatem ; ita etiam & iuramentum de his quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et idèò verumque iuramentum habet quamdam obligationem, diuersimodè tamen : quia in iuramento quod est de præterito, vel præsentis, obligatio est non respectu rei, quæ iam fuit, vel est ; sed respectu ipsius actus iurandi, vt scilicet iuret id quod iam verum est, vel fuit. Sed in iuramento quod præstatur de his quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit è contra super rem quam aliquis iuramento firmavit. Teneatur enim aliquis, vt faciat verum esse id quod iurauit : alioquin deest veritas iuramento. Si autem est talis res, quæ in eius potestate non fuit, deest iuramento discretionis iudi-

*c. Verum  
in ca. 90.  
extra de  
iureiur.*

judicium: nisi fortè quod erat ei possibile, quando iuravit, reddatur ei impossibile, per aliquem euentum: puta cum aliquis iurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur. Tunc enim videtur excusatus esse à faciendo quod iuravit, licet teneatur facere quod in se est: sicut etiam \* supra, circa obligationem voti diximus. Si verò sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum: tunc iuramento deest iustitia. Et idè iuramentum non est seruandum in eo casu quo est peccatum, vel boni impeditivum. Secundum enim \* August. utrumque horum vergit in deteriolem exitum. Sic ergo dicendum est, quòd quicumque iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas impleatur; si tamen alij duo comites adsint, scilicet iudicium, & iustitia.

*q. rec. a.  
3. ad 2.*

*Hetur 22  
q. 4. c. Si  
aliquid.  
& c. In-  
ter cate-  
7a.*

Ad primum ergo dicendum, quòd aliud est de simplici verbo, aliud de iuramento, in quo diuinum testimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatem verbi, quòd aliquis dicat id quòd proponit se facturum: quia hoc iam verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis. Sed iuramentum adhiberi non debet nisi in re de qua aliquis firmiter certus est. Et idè si iuramentum adhibeatur propter reuerentiam diuini testimonij quòd inuocatur, obligatur homo vt faciat esse verum id quòd iuravit, secundum suam possibilitatem: nisi in deteriolem exitum vergat, vt \* dictum est.

*In corp.  
art.*

Ad secundum dicendum, quòd iuramentum potest vergere in deteriolem exitum dupliciter. Vno modo, quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia est secundum se malum: sicut cum aliquis iurat se perpetraturum adulterium: siue quia est maioris boni impeditivum: puta, cum aliquis iurat se non intraturum religionem, vel quòd non fiet clericus, aut quòd non accipiet prelacionem in casu in quo expediat eum accipere; vel si quid aliud est huiusmodi. Huiusmodi enim iuramentum à principio est illicitum; dicitur.

differenter tamen: quia si quis iuret se facturum aliquod peccatum, & peccavit iurando, & peccat iuramentum seruando. Si quis autem iurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur: peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat iuramenta seruando, sed multo melius facit, si non seruet. Alio modo vergit in deterio-rem exitum propter aliquid, quod de nouo emerferat, quod fuit impræmeditatum: sicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puella saltanti se datum quod petisset. Hoc enim iuramentum poterat esse à principio licitum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret. Sed impletio iuramenti fuit illicita. Vnde \* Ambro. dicit in 1. de Officijs, Est contra officium nonnunquam promissum soluere sacramentum: sicut Herodes qui necem Ioannis præstauit, ne promissum negaret.

Ad tertium dicendum, quod in iuramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Vna quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit. Et talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non seruetur. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen eius promittit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientie: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio quod soluit, vel prelato denunciare, non obstante quod contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deterio-rem exitum, esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absoluerunt, non quasi decernentes huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes, ex iusta causa relaxantes.

Ad quartum dicendum, quod quando non est eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, si hoc proueniat ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari, se-

*L. 3. c. 12.  
to. 1. Et  
hitur 22.  
q. 4. c. Est  
etiam con-  
tra.*

*cu-*

*l. 2. de sū-  
mo bono,  
cap 31. a  
med.*

*\* c. 8. an-  
te med.*

cundum sanum intellectum eius, cui iuramentum praestatur. Vnde \* Iſido. dicit, Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit. Et quod hoc intelligatur de doloſo iuramento, patet per id quod ſubditur, Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem iurantis. Vnde Greg. dicit 27. Moral. \* Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

## ARTIC. VIII.

489

*Vtrum maior ſit obligatio iuramenti, quàm voti?*

**A**D octauum ſic proceditur. Videtur, quod maior ſit obligatio iuramenti quàm voti. Votum enim eſt ſimplex promiſſio. Sed iuramentum ſupra promiſſionem adhibet diuinum teſtimonium. Ergo maior eſt obligatio iuramenti, quàm voti.

¶ 2 Præterea, Debilius ſolet per fortius confirmari. Sed votum interdum confirmatur iuramento. Ergo iuramentum eſt fortius, quàm votum.

¶ 3 Præterea, Obligatio voti cauſatur ex animi deliberatione, vt ſuprà \* dictum eſt. Obligatio autem iuramenti cauſatur ex diuina veritate, cuius teſtimonium inuocatur. Cùm ergo veritas Dei excedat deliberationem humanam, videtur quod obligatio iuramenti ſit fortior quàm obligatio voti.

**S**ED contra, Per votum obligatur aliquis Deo: per iuramentum autem obligatur aliquis interdum homini. Magis autem obligatur homo Deo quàm homini. Ergo maior eſt obligatio voti, quàm iuramenti.

**R**ESPONDEO dicendum, quod vtraque obligatio, ſcilicet voti, & iuramenti cauſatur ex aliquo diuino: aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti cauſatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt ſcilicet ei promiſſum ſoluamus. Obligatio autem iuramenti cau-

ti causatur ex reuerentia, quam debemus ei, ex qua tenemur quòd verificemus id quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non conuertitur. Videtur enim infidelitas subiecti ad dominum, esse maxima irreuerentia. Et ideo votum ex ratione sua, magis est obligatorium, quam iuramentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd votum est promissio non quæcumque, sed Deo facta, cui infidelem esse grauissimum est.

Ad secundum dicendum, quòd iuramentum non adhibetur voto quasi aliquid firmitus, sed vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur.

Ad tertium dicendum, quòd deliberatio animi dat firmitatem voto, quantum ex parte vouentis est. Habet tamen maiorem firmitatis causam ex parte Dei, cui votum offertur.

ARTIC. IX.

*Vtrum aliquis possit in iuramento dispensare?* 490

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit dispensare in iuramento. Sicut enim veritas requiritur ad iuramentum assertorium, quod est de præterito vel præsentis: ita etiam ad iuramentum promissorium, quod est de futuro. Sed nullus potest cum aliquo dispensare, quod de præsentibus vel præteritis iuret contra veritatem. Ergo etiam nullus potest dispensare, quòd non faciat aliquis esse verum id quod cum iuramento in futurum promittit.

*c. Verum extra de iurjur.*

¶ 2 Præterea, iuramentum promissorium inducitur ad vilitatem eius cui fit promissio. Sed ille (vt videtur) non potest relaxare: quia est contra reuerentiam diuinam. Ergo multo minus per aliquem alium potest super hoc dispensari.

¶ 3 Præterea, in voto quilibet Episcopus potest dispensare, exceptis quibusdam votis, quæ soli Papæ reuerantur, vt supra habitum est. Ergo pari ratione in iuramento, si esset dispensabile, quilibet Episcopus posset dispensare. Quod tamen videtur esse,

*q. prac. a. 12. ad 13*

Sec. Sec. Vol. ij,

Cc coti-

contra iura. Non ergo videtur quòd in iuramento possit dispensari.

*ars prac.* SED contra est, quòd votum est maioris obligationis quam iuramentum, vt supra\* dictum est. Sed in voto potest dispensari. Ergo & in iuramento.

*ar. 10. q. prac.* RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra\* dictum est, necessitas dispensationis tam in lege quam in voto, est propter hoc quòd id quod in se vel vniuersaliter consideratum, est vile & honestum, & secundum aliquem particularem euentum potest esse inhonestum & nociuum, non potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quod autem aliquid sit inhonestum vel nociuum, repugnat his quæ debent attendi in iuramento. Nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ: si sit nociuum, repugnat iudicio. Et ideo pari ratione etiam in iuramento dispensari potest.

Ad primum ergo dicendum, quòd dispensatio quæ fit in iuramento, non se extendit ad hoc quòd aliquid contra iuramentum fiat. Hoc enim est impossibile: cum obseruatio iuramenti cadat sub præcepto diuino, quod est indispensabile. Sed ad hoc se extendit dispensatio iuramenti, vt id quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat: quasi non existens debita materia iuramenti: sicut & de voto supra\* diximus. Materia autem iuramenti assertorij, quod est de præterito vel præfenti, in quandam necessitatem iam transijt, & immutabilis facta est. Et ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti. Vnde talis dispensatio directe esset contra præceptum diuinum. Sed materia iuramenti promissorij est aliquid futurum quod variari potest: ita scilicet quòd in aliquo euentu potest esse illicitum vel nociuum, & per consequens non esse debita materia iuramenti. Et ideo dispensari potest in iuramento promissorio: quia talis dispensatio respicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti, obseruatione.

Ad secundum dicendum, quòd homo potest alteri pro-

promittere aliquid sub iuramento, dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius: puta, si sub iuramento promittat se seruiturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione potest absolueri ille cui promissio facta est. Intelligitur enim iam ei soluisse promissum, quando facit de eo secundum eius voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum: puta, si aliquis sub iuramento promittat alicui se intraturum religionem, vel aliquid opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non potest absolueri promittentem: quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo: nisi forte sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet, si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.

Ad tertium dicendum, quod quandoque illud quod cadit sub iuramento promissorio, est manifestè repugnans iustitiæ: vel quia est peccatum, sicut cum aliquis iurat se facturum homicidium: vel quia est maioris boni impeditivum, sicut cum aliquis iurat se non intraturum religionem. Et tale iuramentum dispensatione non indiget. Sed in primo casu tenetur aliquis tale iuramentum non seruare. In secundo autem casu licitum est & seruare & non seruare, ut supra \* dictum est. Quandoque verò aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu, & in hoc potest quilibet Episcopus dispensare. Quandoque verò sub iuramento promittitur aliquid quod est manifestè licitum & utile. Et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum: quod maxime videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ: vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter quæ ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem

a. 7. ad 2

potestatis. Sicut & ad vnumquemque pertinet irritare iuramentum, quod à sibi subditis factum est, circa ea quæ eius potestati subduntur: sicut pater potest irritare iuramentum puellæ, & vir uxoris, vt dicitur Num. 30. sicut & suprâ de voto dicitur est.

g. prac. a. 8. & 9.

491 3. d. 39. v. exp. lit.

Ho. 44. v. Matt. in opere imperfecto à me. illius 10. 2.

A R T I C. X.

*Virum iuramentum impediatur per aliquam conditionem personæ vel temporis?*

**A**D decimum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum non impediatur per aliquam conditionem personæ vel temporis. Iuramentum enim ad confirmationem inducitur, vt patet per Apostolum ad Hebræos 6. Sed cuiuslibet conuenit confirmare dictum suum, & quolibet tempore. Ergo videtur, quod iuramentum non impediatur per aliquam conditionem personæ, vel temporis.

¶ 2 Præterea, Maius est iurare per Deum quam per Euangelia. Vnde Chrysoft. dicit, Si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum: sed qui iurat per euangelia, maius aliquid fecisse videtur: quibus dicendum est, Stulti, scripturæ propter Deum factæ sunt, non Deus propter scripturas. Sed cuiuslibet conditionis personæ, & quolibet tempore in communi locutione consueuerunt iurare per Deum. Ergo multo magis licitum est eis iurare per euangelia.

¶ 3 Præterea, Idem non causatur ex contrarijs causis: quia contrariæ causæ sunt contrariorum. Sed aliqui excluduntur à iuramento propter defectum personæ: sicut pueri ante quatuordecim annos, & etiam illi qui semel fuerunt periuri. Non ergo videtur, quod aliqui prohibeantur iurare vel propter dignitatem, sicut clerici, aut etiam propter temporis solemnitatem.

¶ 4 Præterea, Nullus homo viuens in hoc mundo est tantæ dignitatis sicut angelus. Dicitur enim Matt. 11. quod qui minor est in regno cælorum, maior est illo,

illo, scilicet Ioanne Baptistâ adhuc in mundo viuente. Sed angelo conuenit iurare. Dicitur enim Apoc. 10. quod angelus iurauit per uiuentem in secula seculum. Ergo nullus homo propter dignitatem debet excusari à iuramento.

SED contra est, quod habetur † 2. q. 5. Presbyter vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur. Et † 22. q. 5. dicitur, Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam super sancta euangelia iurare præsumat.

RESPONDEO dicendum, quod in iuramento duo sunt consideranda. Vnum quidem ex parte Dei, cuius testimonium inducitur. Et quantum ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia. Et propter hoc à iuramento excluduntur & pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum: quia nondum habent perfectum usum rationis quo possint cum reuerentia debita iuramentum præstare. Et iterum, perituri, qui ad iuramentum non admittuntur: quia ex retroactis præsumitur, quod debitam reuerentiam iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam, ut iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur † 22. q. 5. Honestum est ut qui in sanctis audeat iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honestate & timore Dei. Aliud autem est considerandum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit. Et ideo personis magnæ dignitatis non conuenit iurare. Propter quod dicitur † 2. q. 4. c. Si quis presbyter, Quod sacerdotes ex leui causa iurare non debent: tamen pro aliqua necessitate, vel magna uilitate licitum est eis iurare: & præcipue pro spiritalibus negotijs, pro quibus etiam iuramenta competit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritalibus rebus vacandum. Non autem tunc sunt iuramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi forte ex magna necessitate.

Cc 3 Ad

*c. si quis  
presby. 2.  
q. 5.  
† 22. q. 5.  
c. Nullus  
ex Eccle-  
siastico.*

*22. q. 5.  
c. Hone-  
stum.*

*2. q. 5. c.  
Si quis  
presb.*

Ad primum ergo dicendum, quòd quidam sunt, qui dictum suum confirmare non possunt propter defectum eorum: & quidam sunt, quorum dictum adeo debet esse certum, quòd confirmatione non egeat.

Epi. 154.  
aliquan-  
tulum à  
prin. s. 4.

Ad secundum dicendum, quòd iuramentum, secundum se consideratum, tanto fortius est & magis obligat, quanto maius est id, per quod iuratur, ut August. dicit ad Publicolam. Et secundum hoc, maius est iurare per Deum, quam per Evangelia. Sed potest esse e conuerso propter modum iurandi: utpote si iuramentum, quod fit per Evangelia, fiat cum quadam deliberatione & solemnitate; iuramentum autem quod fit per Deum, fiat leuiter & absque deliberatione.

Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet aliquid tolli ex contrarijs causis per modum superabundantiz & defectus: & hoc modo aliqui impediuntur à iurando, quia sunt maioris auctoritatis quam quòd eos iurare deceat: aliqui verò, quia sunt minoris auctoritatis quam quòd eorum iuramento stetur.

Ad quartum dicendum, quòd iuramentum angeli inducitur, non propter defectum ipsius, quasi non sit eius simplici dicto credendum, sed ad ostendendum id quod dicitur, ex infallibili Dei dispositione procedere. Sicut etiam & Deus aliquando in scripturis iurans inducitur, ad ostendendum immobilitatem eius quod dicitur, sicut Apostolus dicit ad Hebr. 6.

## QVÆST. XC.

*De diuini nominis assumptione, per modum adiurationis, in tres articulos diuisa.*

**P**ostea considerandum est de assumptione diuini nominis per modum adiurationis.

- ¶ Et circa hoc quaeruntur tria.
- ¶ Primo, utrum liceat adiurare homines?
  - ¶ Secundo, utrum liceat adiurare dæmones?
  - ¶ Tertio, utrum liceat adiurare irracionales creaturas?